

BVSCHII DE REFORMATIONE MONASTERI
CAPITVLVM DECIMVM SEXTVM.

De Reformatione Monasterii in ETTERSBORCH.

Monasterium in *Ettersborch* in Thuringia prope *Wimariam*, ad duo miliaria ab *Erfordia*, ordinis Canonicorum regularium. Comites de *Glichen* *Ludowicus* & *Ernestus* mihi & doctori *Paulo*, in Novo opere & ad S. Mauritium Hallis, Præpositis, reformatum in temporalibus & spiritualibus tradiderunt; quod progenitores eorum illius fundatores fuerunt. Monasterium ipsum non sub *Landgravio Turingia*, sed fundus ejus sub Archiepiscopo constitut Maguntino. Comites isti in principio omnia ad id necessaria nobis procuraverunt, & ad conventum nos induxerunt, & eis, ut nobis obedirent, mandaverunt, omniaque bona monasterii, ubi sita essent, nobis demonstrarunt. Nos igitur antiquum Præpositum ad tempus in officio retinuimus. Deinde novum Præpositum de Novo Opere, fratrem *Hermannum de Arnem*, mihi à capitulo de *Wyndesem* datum, ibi instituimus. Provisor autem Domini *Maguntini* Dominus *Adolphus de Nassau*, Canonicus tunc Ecclesiæ Maguntinæ, nunc Episcopus ibidem, dictum *Hermannum* in Præpositum confirmavit, cui plures de Novo Opere in adjutorium ejus concessimus. Assumpsérunt ergo ibi statuta nostra capitulo de *Wyndesem*, cantum, habitum, ceremonialia, ordinarium, & usque in præsens servant, sicut in Novo opere Hallis, & per XV. annos semper ita servaverunt. Post *Hermannum* frater *Henricus de Keyserwoert*, de Monasterio *Molenbeke* mihi datus, ibi usque ad mortem fuit Præpositus. Post eum *Hermannus*, tunc Prior in Novo opere, nunc est Præpositus ibidem, qui in bona disciplina, pace & concordia tenet fratres suos; similiter & in profectu temporalium: sicut Præpositus nunc *Novi Operis*, & ego in Sulta præsentatus hoc anno, ibidem visitatores, invenimus; qui usque nunc stant sub Præposito *Novi Operis* Hallis, & capitulo provinciali eorum uniri & incorporari sunt parati, quantum in eis est.

CAPITVLUM DECIMVM SEPTIMVM.

De Reformatione monasterii SANCTI SPIRITVS prope SOLTVEDEL.

Monasterium S. Spiritus ordinis canonicorum regularium, *Verdensis* diœcesis in Marchia constitutum prope oppidum *Zolovedel*, hoc modo [anno 1470] reformatum est: Illustris Princeps *Fredericus* Marchio Brandenburgensis, Elector Imperii, Archicamerarius Imperii, Stettinensis & Pomerensis Dux, & Borchgravius Nurenbergensis scripsit Principibus Saxoniæ una cum Episcopo *Verdensi*, aut ejus locum tenenti, quatenus dictum monasterium vellet reformare. Ad instantiam ergo & preces Deminorum prælatorum nos in *Rickenberg*, in *Sulta*, in *Hamersleve* Piores ad præfatum monasterium pariter accessimus. Episcopus autem *Verdensis* misit nobis in occursum ad XX miliaria Canonicum Ecclesiæ suæ, Magistrum *Johannem Preen*, quondam officialem & suum Protonotarium, Dominum *Johannem Oletewagben*, sigillum Episcopi secum habentem, qui in mandatis habuerunt, ut, quicquid nobis tribus Patribus visum fuerit sigillandum, id nomine suo sigillarent. Marchio etiam Brandenburgensis suos nobis in adjutorium misit ambasatores. Anno igitur M. CCC. LXX. in octava Epiphanias Ambasatores Principum & Consulatus utriusque civitatis nobiscum monasterium S. Spiritus ingressi sunt, requirentes conventum & Præpositum monasterii, ut nos in visitatores auctoritate Apostolica reciperent. Qui deliberatione accepta, Episcopi mandata in scriptis requirebant. Ego autem vespere tria edidi mandata ****

XL.

MONACHI HAMERSLEBIENSIS

NARRATIO

DE

BASILICA GOSLARIENSI EIVSQVE
PRÆPOSITIS.



HINRICVS Cæsar Rex tertius, filius vel socer *Conradi*, Ecclesiam GOSLARIENSEM, cuius jam *Conradus* fundamenta jecerat decessor, regio cultu absolutam, dedicari fecit per manus sanctissimi Pontificis *Leonis* noni, præsentibus Cardinalibus, Episcopis, Abbatibus LXXXIII. quam Ecclesiam idem Imperator voluit appell-

appellari *Imperii Capellam*, & Canonicos ipsius *Capellanos regios*. Operam ergo dedit exactam, ut viros tanto honore dignos eidem Ecclesie præficeret, si quidem etiam regni illuc sedem constituerat. Electi igitur sunt ex omni fere *Germania* viri doctissimi ac religiosissimi, inter quos & venerabilis *Beno*, maximis Imperatoris precibus, jubente præfato *Leone Papa*, vix tandem à monasterio suo extraictus, ac diètæ Goslariensi Ecclesie novæque congregationi spiritalis dux ut esset, in magistrum & Canonicum præfectus est. Quam laudabilem vitam olim duxerit hæc Goslariensis Canonicorum congregatio, ex hoc patet, quod eorum plures sanctorum numero adscripti sunt: idque quod cum in potestate Imperatorum adhuc esset Episcoporum designatio, pauci aliunde, quam ex eadem *regia*, ut dicebatur *capella*, tam sub prædicto *Hinrico tertio*, quam sub filio ejus *quarto*, ac nepote *Hinrico quinto*, ad quæcumque etiam Episcopia ascenderunt. Ut hoc ex eo pateat, nomina eorum & sedium Episcopaliū, ad quas sublimati sunt, subscriptiuntur, *Italia*, *Gallie* & *Germanie*, sicut apud Goslariensem Ecclesiæ ibidem hæc & alia leguntur scitu digna.

NOMINA
PRÆPOSITORVM.

LIX

EPISCOPATVS
EORVM.

Rumoldus Præpositus I.	<i>Constantiensis Episcopus.</i>
Engelhardus II. (a)	<i>Magdeburgensis Archiep.</i>
Guntherus III.	<i>Bambergenensis Episc.</i>
Wernherus IV.	<i>Merseburgensis Episc.</i>
Anno V.	<i>Coloniensis Archiep.</i>
Bibo VI.	<i>Tullonenensis Episc.</i>
Bruno VII.	<i>Heribolensis Episc.</i>
Otto VIII. Præpositus.	<i>Ravennatenensis Episc.</i>
Sviderus IX.	<i>Bambergenensis Episc. postea Clemens II.</i>
Hartwicus X. (b)	<i>Magdeburgensis Archiep.</i>
Wilhelmus XI.	<i>Veronensis Episc.</i>
Bertoldus XII.	<i>Interamniensis Episcop.</i>
Arnoldus XIII.	<i>Pataviensis Episc.</i>
Bruno XIV.	<i>Vercellenensis Episc.</i>
Geroldus XV.	<i>Ravennatenensis.</i>
Craft Al. Crasiph. (c)	<i>Misnenensis designatus Episc.</i>
Benno Magister	<i>Misnenensis Episc.</i>
Robertus Præpositus XVII.	<i>Bambergenensis Episc.</i>
Matro XVIII.	<i>Verdenensis Episc.</i>
Herebertus XIX.	<i>Leodiensis Episc.</i>
Eckhardus XX.	<i>Poloniensis Episc.</i>
Godfridus XXI.	<i>Ratisponensis Episc.</i>
Eppo XXII.	<i>VVormatiensis.</i>
Vdalricus XXIII.	<i>Argentinensis.</i>
Cono XXIV.	<i>Frisingenensis.</i>
Conradus XXV.	<i>Trajetensis.</i>
Landolphus XXVI.	<i>Treverensis Archiepiscopus.</i>
Ricolphus XXVII.	<i>Moguntinenensis Archiep.</i>
Eppo XXVIII.	<i>Monasteriensis Episc.</i>
Hinricus XXIX.	<i>Augustensis Episc.</i>
Hetzelinus XXX.	<i>Hildensemensis Episc.</i>
Hinricus XXXI.	<i>Paderbornensis Episc.</i>
Eylbertus XXXII.	<i>Numensis [leg. Mindensis] Episc.</i>
Liemarus (d) Magister	<i>Hamborgenensis Archiepisc.</i>
Hildolfus Magister,	<i>Coloniensis Archiepisc.</i>

Hic (e) sequitur *Benno Magister Goslariæ & Præpositus 36. sequitur*

Atellogus 37.

Atelhogus Præpositus XXXIII.	<i>Hildensemensis Episcop.</i>
Ekhardus XXXIV.	<i>Spirensis Episc.</i>
Cunradus Canonicus	<i>Hildensemensis Episc.</i>
Ludolphus Canonicus	<i>Halberstadiensis Episc.</i>
Johannes Magister	<i>Halberstadiensis major Præpositus, dictus (e) Semeca, & Teutonicus, Magister & Doctor Decretorum.</i>

Sss 2

Rudol-

(a) al. Eggardus.

(c) In antiquis monumentis verius *Craft* dicitur.

(e) Hæc omittuntur apud Emserum.

(b) al. Herwicus.

(d) Paragiaphus hic omittitur in Emseri editione.

Rudolfus Vicedominus,	Suerinensis Episc.
Conradus Canonicus	Magdeburgensis Archiep.
Valentinus XXXV. Præpos.	Mindensis Episc.
Guntherus Canonicus	Magdeburgensis designatus.
Sigfridus XXXVI.	Hildensemensis Episc.
Arnoldus XXXVII.	Bambergenensis Episc.
Johannes Canonicus	Havelbergensis Episc.
Hinricus Canonicus	Havelbergensis Episc.

Hos & alios latius require apud Ecclesiam Goslariensem. Sed non plus collectum inveni, unde hec corrixi, in Goslaria 1518. Ibi stat: Benno Magister Goslariensis & Præpositus, & Münenensis Episcopus, obiit 1077. & receptus ex Goslaria anno 1066.

XLI.

IOHANNIS DE POLDA
CHRONICON ECCLESIAE HAMELENSIS
SVPPLETVM

Ex MSto.

BN nomine Domini, Amen. Quia ob labentem generis humani (a) memoriam, res mirificè antiquitus gestæ chronicè (b) describuntur, anno igitur à nativitate ejusdem DCCXII. Anastasio secundo Imperium Romanorum gubernante, Gregorio secundo Papa sedem (c) in vera (d) Româ tenente, qui gloriosum patronum nostrum Beatum Bonifacium martyrem ad votum Pipini Ducis, majoris domus Franciæ, Beati Wilbodi (e) Moguntinensis (f) archiepiscopi senio gravati ac totius cleri precum instantiâ, in archiepiscopum ejusdem sedis Moguntinensis propriis manibus, cum magna lœtitia cœtus Cardinalium, in craftino beati Andreæ Apostoli consecravit, pallio, cœnodiis, ac multis reliquiis honestavit & prænomen filii (g) quod est Bonifacius, propter eximia sua beneficia erga ecclesiam Dei per annos 40. facta imposuit: Quia prius Winfridus nomine patris sui fuit vocatus (h). Idem venerabilis Papa Gregorius, misit Beatum virum Bonifacium ad Ducem Pipinum majorem, patrem Caroli M. ut ipsum in primum Regem Franciæ ungeret & consecraret, quod factum fuit in civitate Jessom, (i) quæ nunc Orlens vocatur. Iste Pipinus Princeps multum dilexit Beatum Bonifacium, eō quod primitus juvit eum congregare Regnum & ejicere Hildericum Luberum (*) & Effœminatum & quod prælio (k) suæ peregrinationis pacem & concordiam inter patrem suum Carolum Mariellum vel tondentem (l) sic dictum, quia omnes Principes in circuitu tondentebat (l) & macerabat, & Rabadonum ultimum Rrgem Frisnum constituit & ordinavit. Iste fuit Rex Rabodonus, qui à Beato Wulframo Episcopo debebat baptisari, habens unum pedem in baptisterio, & alterum foris, requisivit, utrum de suis parentibus plures in celo regnarent, vel ad inferos descenderint; responsum fuit, quod plures ad infernum: & ille extrahens pedem de fonte dicens, & nos pluritatem (m) cupimus imitari, tertia die sine baptisme discessit. Et deinceps (n) Bonifacius verbum Dei undique in Frisia seminavit, quod dictus Rabodonus prohibuit, quo tandem gladiis impiorum occubuit.

Hic athleta & preciator (p) Bonifacius 33. annos in Episcopatu Moguntinensi viguit. Francos, Bavaros, Thuringos, Hassones, Frisones ad veram fidem convertit. Auctoritate apostolica inquisitor hæreticæ praviratis extiterat, unde adjutorio dicti Regis Pipini multos hæreticos exterminavit & igni tradidit comburendos, & quatuor Synodos generales incitavit (q), & in Almania multa mirabilia fecit. Primo ecclesiam Fulensem in pago Grapfeld in honorem Beatorum Petri & Pauli apostolorum constituit & consecravit, sed eam imperfetam reliquit. Unde petiit Beatum Lullum suum archidiaconum, in dicto Episcopatu suum successorem, ut dictum monasterium perficeret, ac ibidem ipsum sepeliret, quod & factum fuit. Et ipse Pipinus Rex præcipit, quod nunquam debet exhumari & alio duci. Deinde ordinavit ecclesiam collegiatam Frialiensem, & profectus in Westphaliæ ad opidum Geumarie, ubi reperit robur vel querum

(a) MStum: humanæ generationis. (b) conscribuntur. (c) Apostolatus. (d) lego: vetere.
(e) VVilbodi. (f) Maguntinensis. (g) prænomen sibi. (h) auncupatus. (i) Tessym.
(*) forte Lamberdum dixit autor, ut infra, credens, Hildericum genere Lombardum suisse. (k) &
quod in principio. (l) lego tundentem, tundebat. (m) pluralitatem. (n) beatus.
(p) prælator. (q) initavit.